Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 327
Quelle:
Copyright:

cis Horyne et V — — nificis consulum iuratorum. Datum Prage sabbato ante Penthecosten Anno Domini Millesimo Trecentesimo nonagesimo Secundo. Elegans manus.

CXXV. VII E. 7.

325 Codex membraneus lat. Sec. XIII. ineuntis. Folior. 259. f. nitide, licet a diversis manibus, exaratus, rubricisque passim notisque marginum distinctus exhibet Paraphrasin metricam Librorum S. Scripturae, quam Autor *Petrus de Riga* Can. et Cantor *Rhemensis*, qui a. 1209. vivis excessit, *Auroram* inscripsit. Agit de ea diligenter *Polyc. Leyserus in Hist. Poet. et Poem. med. aevi* a p. 692. ex Mss. *Helmestad.* et *Guelpherbyt.* quorum, si lubuerit, recensum nostrum conferet Lector. Ordinem Librorum, quoad fieri poterit, sequemur, quem *Trithemius* in *Scriptt. Eccl.* n. 388. adsignat. Initium facit Prooemii instar Carmen nemini memoratum 10. Distichor. ita:

Nil homini melius quam si diuina legendo
Figat ibi uitam quo sibi uita uenit &c.

Finit: *Lectio iugis alit uirtutes. lucida reddit*
Intima. declinat noxia. uana fugat.

Petri ipsius hic foetus, an *Aegidii Parisiensis* ejus συγχρονου et interpolatoris, ignoro. Mox: *Incipit prologus in libro floridi aspectus. Sodalium meorum peticio cum quibus conuersando florem infantie exegi. ut librum pentateucum moysi. stilo metrico depingerem. et inde aliquas allegorias elicerem instanter persuasit. — Neque enim fas erat offendere. illos cum quibus in scolis ab infantia. conuersatus sum. cum quibus libros gramatice percurri. ciceronis flores aureos legi et elegi. laborintum aristotilis aliquantulum inspexi. sed non penitus introiui. — Porro uisum est et mihi huic libro iuxta operis tenorem hoc nomen congruenter imponere.* Aurora. — *quod sicut angelus teste hystoria quam percurro post luctam nocturnam laetus est ad iacob.* dimitte me aurora est. *sic et ego post luctam et laborem. quem in hoc opere exercui. quodammodo librum meum. eisdem uerbis allocutus sum dicens.* dimitte me aurora est. *Quasi dicatur. finem huic impono operi. quia figuras et umbras hystorie explicui. et ueritatis fulgor patenter illuxit.* Sat ingeniose! Verum non in solo *Pentateucho* stitisse *Petrum*, Codex docet. Sequitur Carmen hexametrum, quod in margine *Aliud proemium. Inuocatio.* et *Narratio* dicitur, versuum 56. hoc initio:

Auctoris mendico stilum. falerasque poetæ.
Ne mea segnitie clio deiecta senescat.
Ne jaceat calamus. scabra rubigine torpens &c.

Ni-